

Sed nos oblitterata quoque scrutabimur, nec deter- 7
rebit quarumdam rerum humilitas, sicuti nec in anima-
libus fecit, quamquam uidemus Vergilium praecellen-
tissimum uatem ea de causa hortorum dotes fugisse
et in his quae rettulit flores modo rerum decerpisse,
beatum felicemque gratiae quindecim omnino generi-
bus uuarum nominatis, tribus oleae, totidem pirorum,
malo uero tantum Assyrio, ceteris omnibus neglectis.

II. Vnde autem potius incipiamus quam a uitibus, 8
quarum principatus in tantum peculiaris Italiae est,
ut uel hoc uno omnia gentium uicisse etiam odorifera
possit uideri bona, quamquam ubicumque pubes-
centium odori nulla suauitas praefertur?

(1) Vites iure apud priscos magnitudine quoque 9
inter arbores numerabantur. Iouis simulacrum in urbe
Populonio ex una conspicimus tot aeuis incorruptum,
item Massiliae pantheram. Metaponti templum Iuno-
nis uitigineis columnis stetit. Etiam nunc scalis
tectum Ephesiae Dianae scanditur una uite Cypria,
ut ferunt, quoniam ibi ad praecipuam amplitudinem
exeunt. Nec est ligno ulli aeternior natura; uerum ista
ex siluestribus facta crediderim.

III. Hae uites tonsura annua coercentur, et uis 10
earum omnis euocatur in palmites aut deprimitur in
propagines, suciue tantum gratia exire sinitur plu-